



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 72. Raphaelis Riarii Cardinalis fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

mo quingentesimo duodecimo, Thomas Sæcul. XVI. A.C. 1521.
 Romam profectus Julii II. morti præsens
 adfuit, *confisus*, ut inquit Ciaconius, *se*
Sucessorem Julii in Pontificatu futurum.
 In Hungariam reversus, a Leone X. Le-
 gatione in Bohemia & Hungaria auctus
 est; ubi sacram militiam adversus Tur-
 cas prædicari jussit, tanto successu, ut
 citissime plusquam sexaginta hominum
 millia confluerent, qui omnes cruce sig-
 nari petebant. Fungebatur itidem mul-
 tis legationibus, nimirum Constantino-
 politana, Polonica, & Norvegica, nec
 minus ablegatus quoque est ad Scotiæ
 Regnum, necnon in Prussiam, Russiam
 Livoniam, Valachiam, Silesiam, Lusa-
 tiam, Moraviam, Transilvaniam, Dal-
 matiam, Croatiam, & Moscoviam. In
 Hungaria Seditionem in Ludovicum ju-
 niorem motam sedavit, demum vero fe-
 nio gravis, ac laboribus fractus, ibi-
 dem die undecima Junii Anno Domini
 millesimo quingentesimo vigesimo pri-
 mo diem supremum obiit.

§. LXXII.

Raphaelis Riarii Cardinalis fata.

Quartus, qui hoc anno inter Cardina- Ciac in Siact. IV. p. 70. Auberii. Vi- foret. loc. cit.
 les obiit, erat Raphael de Riariis,
 feu Galleovus, die tertia Maji Anno
 millesimo quadringentesimo quinquage-
 simo

Sæcul. XVI
A.C. 1521.

*Onuphr. in
Sixt. IV. &
in Chron.*

fimo primo Savonæ ex Violante Riaria, Petri ejusdem nominis Cardinalis Sore progenitus, ejusdemque hæres a Sixto IV. Papa substitutus illius agnomen ex ejusdem Pontificis jussu assumpsit, Anno autem Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Mense Decembri Cardinalium Collegio adscriptus est, quamvis nonnisi vigesimum septimum ætatis annum ageret. Eundem Sixtus diversis temporibus præfecit Ecclesiis Foro-Corneliensi, Leutiganæ, Oxamensi & Conchensi, nec minus rexit etiam Cosentinum, & Salernitanum Archiepiscopatus, præter Episcopatum Tridentinum. Præfuit etiam Abbatiis Cassini & Cavæ. Subibat olim ingens vitæ periculum; cum enim Papa adversus Laurentium de Medicis justam conquerendi causam se habere credebat, ac Francisco Pazzio, qui in ejus ac Juliani Medicæi exitium juraverat, faciles nimium aures præbebat, jubebatur tum Riarius ejusdem frater, qui Pisis operam studiis navabat, quantocius Florentias accurrere, ut conjuratos præsentia sua animaret, cum vero hæc consilia effectu carerent, Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo a plebe vix non dilacerabatur, demum ob periculi sibi impendentis horrorem
ita

ita expaluit, ut pallorem in vultu, quo-
ad vixit, retinuerit.

Sæcul. XVI.
A C. 1521.

Sub Innocentii VIII. Pontificatu magis
prospera utebatur fortuna, mox tamen sub
Alexandro VI. adversam experiri cogebatur; cum enim ad hujus Pontificis electionem plurimum contulisset, hoc obsequii genere suis Nepotibus Hieronymi Riarii Patruis sui filiis fortunam constanter propitiam fore existimabat; ast sua eum spes fefellit; quippe Alexander VI. eos Forolivii, ac Foro-Cornelii Principibus exuit, quinimo eorum Matrem Catharinam Principissam carceri mandari jussit. His ærumnis pressus Cardinalis asyllum in Gallis quærere cogebatur: Interfuit tamen electionibus Pii III. Julii II. & Leonis X. summorum Pontificum, sub cujus ultimi regimine inter alios conjurationis, quam Petrucius Cardinalis in ipsum Papam conflaverat, socios deprehensus, ac in arce S. Angeli custodiæ datus fuit, ab eodem vero Pontifice, cum crimen suum fateretur, raro magnanimitatis exemplo veniam impetravit, postea vero Neapolim secessit, ubi etiam die septima Julii hoc anno mortalitatem exuit. Cadaver autem ejus Romam translatum in æde SS. Apostolorum sepulchrum obtinuit.

Machia. hist. Florent. l. 8. Garimb. l. 4. Ughel in Ita. sacra. Uber-tus Foglieta in elog.